



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Artic. II. Quæ sit pœna Simoniaë?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

pro temporali, ut si calicem, vel agnos Dei præci-
 se ratione materiæ vendas: vel dare temporale pro
 spirituali, per modum doni gratuiti: etiam cū spe
 vel intentione excitandi ad remunerationem do-
 ni spiritualis, vel contra. Ratio, quia gratitudo non
 respicit pretium, sed beneficium: nec solvit debi-
 tum iustitiæ, sed antidorale: quo non excluditur
 quin gratis detur. Rectè tamen monet *Suarez*, hu-
 jusmodi dona, ob præsumptionem valde cavē-
 da. Item, donare, promittere, vel legare tempo-
 rale quippiam, sub conditione operis spiritualis
 præstandi, modò non fiat per modum retributio-
 nis, seu commutationis: ut v.g. si parens filio pro-
 mittat munus, si Sacramenta frequentet. Ratio
 quia hinc non intervenit contractus onerosus, sed
 fititur vel in liberali donatione, vel donatione
 sub tali conditione & modo, *Suar. lib. 4. c. 4. Lay.*
l. c. n. 8.

ARTICULUS II.

Quid sit pœna simonia?

Resp. I. Sola simonia Confidentia, & Realis, in
 Ordine, beneficio Ecclesiastico, & religionis in-
 gressu, pœnas juris ipso facto inducit: licet ob in-
 gressum religionis rarò incurratur, ut dictum, vel
 ob tenuitatem monasterii, vel contrariam con-
 suetudinem receptam. *Suar. c. 56 & 57. Less. d. 23.*
Lay. l. c. 5. 7.

Resp. II. Ob simoniacam collationem & susce-
 ptionem Ordinum, etiam primæ tonsuræ, incur-
 ritur excommunicatio, & suspensio Papalis. *Less.*
d. 24. Lay. l. c.

v. 45. Inn. XI.

Resp.

Resp. III. Ob simoniam Realem in beneficio Ecclesiastico, incurritur 1. Excommunicatio Papalis. 2. Irrita est electio, presentatio, confirmatio, & institutio. Unde talis non facit fructus suos: idque etiam licet à tertia persona taliter provifus id ignoraverit: nisi tamen contradixerit, vel nisi à tertio data fuerit pecunia per fraudem, ut redderetur inhabilis; vel nisi bona fide possederit beneficium per triennium, *Less. l. 2 c. 35. d. 31. Laym. l. 4. t. 10. c. ult. Bon. d. 1. q. 7. pag. 2. num. 20. ex Gomez, Garzia, &c. 3.* Efficitur inhabilis ad idem beneficium, etiam per dispensationem Episcopi obtinendum: aliis tamen beneficiis jure ipso non privat, nec ad talia obtinenda fit inhabilis ante sententiam judicis, *Suar. c. 57. n. 47.*

Resp. IV. Simonia Confidentiae completa dato & accepto beneficio, licet accipiens promissionem vicissim non impleverit, inducit 1. excommunicationem, Papalem utriq; parti contrahenti. 2. Annulat resignationem & collationem beneficii, in quo est commissa; & inhabilitat ad idem postea obtinendum. 3. Privat omnibus beneficiis & pensionibus antè obtentis; non tamen ante sententiam laram. 4. Beneficia sic collata soli Pontifici reservantur, *Less. c. 35. d. 26. Suar. c. 43. Lay. n. 76.*

ARTICULUS III.

An, & cui restituendum, quod simoniacè acceptum?

Resp. Nihil spirituale simoniacè acceptum, præter beneficiū, (sub quo continetur pensio, se-

F 5

cus-